227 121

Vir Reverendiſsime,

Pudore ſuffundor, quoties tempus illud in mentem revoco, quo Te in urbe noſtrâ praeſentem ſcivi, nec tamen converſatione tuâ aeſtumatiſsimâ frui, nec obſequia mea, ut par fuiſset, offerre potui. Ita ſcilicet eo tempore me negotia quaedam extraordinaria ordinariis juncta in transversum rapiebant, ut vix mei compos omnibus iis me ſubtrahere cogerer, quae vel ipſa mentis propenſio, vel honeſtatis ratio ſuadebant. Noli quaeso ex eâ, quae tum me invitum occupaverat rerum ſerie, animum meum judicare, ſed potius crede, me ad quaelibet officia, ſi qua mihi injungere placebit, ſemper promptum paratumque fore. Pro communicatâ Codicis Mſcripti Sileſiaci notitiâ gratias quas poſſum ago, cujus Autor, Franciſcus Faber Niſſeng ut in quibusd. codicibus, qui è Bibliotheca illius apud me ſunt, ſe ipſum vocat, Poëta

227v

insignis, JCtus et Historicus de urbe nostra optime
meritus mihi satis notus est; opus autem ipsum,
cujus praefationem benigne mecum communicare voluisti,
autographum quidem ab Autore relictum, inter ar-
chiva curiae nostrae conservatur; apographum verò
membranis nitidissimè inscriptum, in conclavi
praecipuo Curiae nostrae inter cimelia asservatur.
Nihilominus tamen satis avidus sum, Codicem ve-
strum (forsan et alterum de rebus Lignicensibus)
Bibliothecae nostrae inserendi, si pretio non amplo
nimis veniret; hinc etiam rogo, ut de pretio
utriusque codicis me certiorem quam primum red-
dere velis, quo emtio ipsa perfici eò certius possit.
Plura scripsissem, nisi inter media sacra temporis
angustia brevitatem suaderet, vel communicassem
quaedam, quae nuper praelo apud nos subjecta sunt,
nisi commodior iisdem transferendis occasio exspe-
ctanda foret. Clariss. Hankius noster de officio
salutat, memoriamque sui Benevolentiae Tuae commendat.
Vale Vir Celeberrime prosperrimam propediem Anni et
Virium renovationem percipe, et favere perge

Tibi obsequentissimo
Gottlob Kranzio

Wratisl. die S. Stephani
A. O. R. MDCCIII.

51

Monsieur

Monsieur des Vignoles,
Ministre et Membre de l'Acade-
mie Royale des Sciences,

à

Berlin.

M. Krantz. 26. Decemb. 3.

228v